



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

B. Mariae Virginis Memoria In Monte Blandinio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## MARCELLINVS PRESBYTER

*Gandavi.*

**E**GINHARTVS Caroli Magni Cancellarius pòst Ludo-<sup>2. Junij.</sup>  
 uico Pio eius filio admodum familiaris anno 826. fit  
 Abbas xv. Bauonici siue Gandensis Coenobij, habuit is  
 notarium Ratcleicum nomine quem ad conquirendas  
 Sanctorum reliquias Romam misit. Is varijs locis pie  
 lustratus tandem diuino fretus auxilio in crypta Basilicæ  
 S. Tuburtij Martyris, quæ est via Lauicana tertio ab vrbe  
 lapide corpora SS. Marcellini & Petri Martyrum reperit  
 atque in Gallias transtulit. Ita msc. Chronicon Ganden-  
 se. Eas itaque reliquias in Galliam Belgicam allatas idem  
 Eginhartus partim in Gandauensi S. Bauonis Mona-  
 sterio. Partim in Hanoniensi Benedictinorum apud  
 Hannones Coenobio collocavit. Vide Miræum 2. Junij.

## B. MARIÆ VIRGINIS

MEMORIA

*In Monte Blandinio.*

**E**Cclesia Paroecialis est in Monte Blandinio sita &  
 Abbatia Blandiniensi vicina, ac D. Virginis sacra  
 olim iuxta, vt omnis ille tractus, nunc vrbi inclusa, mi-  
 raculis etiam in hodiernum vsque diem clara. In illa  
 quotannis Dominicâ festum Assumptionis sequente so-  
 lemnis ad honorem eiusdem Virginis peragitur suppli-  
 catio ad quam populi Gandauensis concursus frequens  
 est, cum nouendiali obseruantia & deuotione. Sunt &  
 alia



alia plura in dioecesi Gandauensi Paroecialia templa, Parthenio nomine honorata; ea sequuntur; extra opidum Mariekerka, Basseuelde, Eertuelde, Clusen, Desselberghe B. Virginis ad Niues, Desselendonck, Crubeke, Dackenam, Exaerde, Moerbeke eum S. Antonio Mellene, Nieukercke, Rupelmonde, Temscheicum S. Amelberga, Waesmunster cum SS. Petro & Paulo, Offenelle, Teneramundæ Ecclesia collegiata. In opido Aldenardensi Ecclesia Pamelensis, Singhem cum S. Bauone; Asperen, Woorteghem, Donsana Ecclesia cum S. Egidio, Leerne cum S. Ioanne Baptista, Zeeuergem, Nazarette, Bellem, Ruyslede, Regularibus Ecclesijs, & sacellis in Episcopato Gandauensi pluribus exceptis, quæ titulum eiusdem Deiparæ Virginis habent.

## MARTINVS TVRONENSIS

*Episcopus.*

II. *Nov.* **I**S Tornaci in monte S. Martini (vbi nunc est Abbatia Benedictinorum) mortuum ad vitam reuocasse & apud Fanopinenses templum idolorum euertisse traditur. Arborem insuper piorum damoni dedicatam, quæ sano erat proxima excidit. Cui rei cum Antistes loci cæteraque Gentilium turba primum obsisteret, tandem consentit modo ipse ruentem exciperet, quod factum se confusus in Domino intrepide pollicetur. Itaque eo in loco vincetus statuitur pro arbitrio rusticorum, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. At ille super se ruenti, eleuata manu salutis signum opposuit, tum vero ita in diuersam partem ruit, vt rusticos, qui in tuto loco steterant poene prostrauerit. Addit Seuerus Fulpitijs lib. 1. cap. 1.